Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1551
Quelle:
Copyright:

nibus 42. in Codice deest usque ad verba: *Hęc ad constructionem archę his qui plura facere aut non ualent* &c. Cetera integra, quamquam non absque diversa lectione. Vide et Cod. DCLXVI.

Fol. 49. ἀνεπιγραφως Excerpta adjiciuntur de Significationibus Rerum primarum et secundarum per voces secundum sex circumstantias, quae sunt: *Res, persone, numeri, loca, tempora, gesta*, quibus inseruntur Syllabi Ponderum, Mensurarum, Catalogi Patriarcharum, Judicum, Regum et Pontificum *Juda*, Regumque gentilium, Descriptiones Regnorum et Breviarium historicum usque ad Herodem, qui Jacobum interfecit. Lecta haec videntur ex *Libris Excerptionum Hugonis*, ut vocant Editores, *Priorum, eod. Tomo* contentis, quamquam, quae de *Ponderibus* et *Mensuris* hic traduntur, in iis non repererim. Ad calcem Codicis: *Liber iste proprie pertinet ad sanctum Michahelem in Mänse.*

DCLXIV.

R. 1990 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 289. f. per duas columnas luculente exaratus, coloribus illustratus et quondam, ut *fol.* 3. notatur, *Fratrum Carthusiensium iuxta pragam extra muros*, sequentia complectitur: I. *Hugonis a S. Victore* Can. Reg. *Libros IV. de Claustro Animae*, quorum Prologus incipit: *Rogasti nos frater amantissime quatenus aliqua remedia* &c. ut in Editione *Opp. Rotomag.* 1648. T. II. p. 42. f. ubi noto, ipsos Editores *Victorinos* ad calcem dubitare, an Opus non potius *Hugoni de Folieto* tribuendum sit. Retuli jam saepius.

II. *fol.* 95. *Incipiunt Gesta Saluatoris Domini nostri ihesu christi secundum carnem.* Alias *Acta Pilati*, alias *Evangelium Nicodemi* a me jam utroque *Vol.* non semel indicatum. Initium hic: *Factum est autem in anno XIX. tyberij cesaris* &c. Adhaeret *Epistola Pilati*, quae incipit: *Pontius Pilatus Regi suo Claudio salutem. Nuper accidit et quod ipse probavi* &c. Variat phrasis, ut in ejusmodi Commentis solet, fere per singula Exemplaria. Plura *Fabricii Codex Apocryph. N. T.* p. 213. et P. III. a p. 456.

III. *fol.* 106. *Incipit liber beati Bernhardi Abbatis Clareuallensis ad Eugenium papam qualiter prelatus debeat preesse.* Id est *Libri V. de Consideratione*, prout extant edit. *Maur. Paris.* 1680. T. II. *col.* 407. f. Habent curas secundae manus in margine. Capitum nulla divisio.

IV. *fol.* 139. p. 2. praevio Loco e *Retractat.* L. II. c. 4. et Prooemio S. *Augustini Libri IV. de Doctrina Christiana.* Nulla iterum Capitum divisio. Liber I. init: *Due sunt res quibus nititur* &c. Finit IV. *quantulacumque potui facultate disserui.* Ut edit. *Maur.* T. III. *col.* I.

V. *fol.* 192. praevio Capitum Elencho *Incipit liber Augustini de ecclesiasticis dogmatibus. Alii dicunt*